

LECTIONES PVBLICAS  
ET PRIVATAS

PER INSTANS SEMESTRE HIBERNVM  
IN *ACADEMIA LVDOVICIANA*

DEO DVCE ET AVSPICE HABENDAS

RECTOR  
IO. FRIDERICVS  
WAHL,

PROFESSOR IVRIVM ORDIN. ET ACAD. SYNDICVS,

VNA CVM VNIVERSO  
SENATV ACADEMICO

INDICIT ET AD EAS SEDVLO AVDIEN-  
DAS GENEROSOS AC NOBILISSIMOS OMNIUM FA-  
CVLTATVM STUDIOLOS PERAMANTER  
INVITAT

*D. XI. SEPTEMBR. ANNO MDCCXXXV.*

SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.

---

GISSÆ, TYPIS EB. H. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.

*In Facultate Theologica.*

**D. IO. GEORG. LIEBKNECHT,**

*Theol. P. P. O. Superintendens, Consistorii Assessor,  
& h. t. Decanus.*

**P**ublice hor. XI. historiam Symbolorum ecclesiae Lutheranae tam antiquorum, quam recentiorum ita dabit, ut & istorum necessitas, & adversariorum technae eo melius cognoscantur. Privatim lectiones dogmaticas hor. IX. ad ductum BAIERI, RUDRAUFFII & aliorum methodo consueta, puta thetico - antithetica breviter & perspicue continuabit. Et quia jam alibi ea, quae futuris ecclesiae ministris cognitu necessaria sunt, generatim monstrata sunt; ideo nunc specialius instructionem sinceram, voluntatique divinae & superiorum ordinationibus eccles. convenientem ita desideratibus, quoad officii sacri ipsius administrationem monstrare libet.

**REINH. HENR. ROLLIUS, D.**

*Prof. Publ. Ordin. Consist. eccles. Assessor, atque Districtus  
Alsfeldiensis Superintendens.*

**L**ectionibus publicis, in historiam seculi XVI. & XVII. ecclesiasticam, praeterlapso semestri bono cum Deo ad finem perductis, per instans semestre hibernum JO. FECHTII, Theologi consummatissimi, *Instructionem pastorem* explicabit, tum ea traditurus, quae cognitu necessaria sunt futuro ecclesiae ministro, tum quae singulas officii sacri partes concernunt. Cumque nil magis in votis habere eos deceat, qui ad ministerium aspirant, quam ut, eidem olim admoti, recte ubique se gerant, ante omnia in eo summo opere elaborandum esse intelligunt, ut in numerato quasi habeant,

beant, quæ ipsius Dei mandato observanda sibi erunt. In lectionibus *privatis in Aug. confessionem ejusque Apologiam* ea, quæ restant, absolvet, addetque *Articulos Smalcaldicos*, historiam illorum ipsi expositioni præmissurus, cum illa usum in totam tractationem diffundat non contemnendum. Lectiones quoque in *Theologiam dogmaticam*, rogatu quorundam superioris semestris sub initium coeptas, tametsi in catalogo Lectionum non promissas, strenue continuabit, operam daturus, ut hoc ipso semestri Deo juvante finem illæ fortiantur. Tandem & in *exercitio disputatorio* privatos intra parietes perget, quæque in Theologia thetica proponuntur, ventilationi submittet, eo annisurus, ut artificii disputandi satis nondum gnari, de eo vel ipso usu instruantur.

*In Facultate Juridica.*

**IO. FRIEDER. KAYSER, J. V. D.**

*et P. P. O. ac Primar. nec non rerum Oeconomicarum in hac Alma Ludoviciana Inspector.*

**P**ER instans semestre hyemale, si **DEVS** vitam & vires sospitaverit, nova Collegia *Jurispubl. et Canonici* aperiet, simulque in continuandis iis, quibus adhucdum insudat, tam privatis quam privatissimis, operam omnem & diligentiam impendet.

**D. JO. FRIED. WAHL, P. P. O.**

**P**ublice, quantum officii ratio permittet institutiones **D. Justiniani** interpretabitur. Privatas vero ad *Digesta* lectiones & privatissimas ad finem perducet. Nova quoque ad *Jus Canonicum* vel *Feudale* pro desiderio **Dni Commilitonum** aperiet collegia.

D. IO.

**D. IO. GEORG. ESTOR, P. P. O.**

**D**Vm in hac academia erit, operam dabit, vt Dominis Commilitonibus ad officia quaeuis se exhibeat promtum atque paratum.

**JOH. HARTMUTH RAYS,**

*J. U. Lt. Prof. P. Extraord. & Facult. Jurid. Assessor.*

**L**Ectiones publicas ad *Jurisprudentiam Struvii forenses* ea, qua par est, diligentia prosequetur: In scholis privatis *Collegium pandectarum* sub initium elabentis coeptum instante semestri V. D. ad finem perducet, de novo vero vel *Institutiones Justinianae*, vel *Examen Strykii Juris Feudalis* docebit, & praeter *Collegium practicum*, quod desiderantibus pollicetur, aliam singulis diebus horam *lectionibus privatissimis* destinavit.

**ERN. CHRISTOPH. ARNOLDI**

*Juris Utr. Lic. & Prof. P. E. Facult. Jurid. Assessor.*

**I**N Lectionibus publicis hora IX. matutina, loco *Juris Feudalis*, ad ductum *Examinis STRYKII*, elapso proximo semestri absoluti, quod nunc privatim explicabit, *notitiam Statuum Europaeorum ex Geographia B. venerandi Parentis Historico - Politica* commonstrabit. Privatim *Jurisfeudalis jam dictum Collegium*, & *Digestorum ad B. LAUTERBACHII Compendium, Institutionum, & ad STRUVII Jurisprudentiam Romano - Germanica forenses* habebit; Sique alia desiderentur non deerit votis Dnn. Studiosorum, quorum commoda pro virili promovebit.

*In Facultate Medica.*

**D. JO. CASIMIR. HERTIUS,**

**P**ublice purgantium historiam, usum & abusum exponet:

net : Privatim vero in anatomicis pariter ac chirurgicis captui ac desiderio suorum se Auditorum accommodabit.

**IO. MELCHIOR VERDRIES, D.**

*et P. P. O.*

**P**ublice & privatim ad captum & desideria Dn. Dn. Commilitonum se accommodabit, nullaque in parte Medicinæ dilucidius & cum fructu exponenda, se non officiosum præbebit.

**LUD. HENR. LEO HILCHEN,**

*Med. D. et P. P. O.*

**P**ublice & privatim institutiones præleget: aliis etiam, si desiderabuntur, laboribus bonum diligentium Philatrorum promovendi studium testabitur.

**D. GERARDUS TABOR,**

*P. P. O.*

**P**ublice Materiam Medicam explicabit. Privatim omnes intendet vires, ut Dnn. Commilitonum votis & desideriis satisfaciatur.

*In Facultate Philosophica.*

**D. IO. GEORG. LIEBKNECHT,**

*P. P. et Acad. Senior.*

**O**mne studium ac diligentiam, in quacunque parte mathematica Dn. Commilitonibus exhibendam, promittit.

**D. IO. MELCHIOR VERDRIES,**

*P. P. O.*

**C**ursum Philosophiæ Naturalis modo absolutum denuo accipiet

accipiet; nec deerit, si, in partibus quibusdam nobilissimæ scientiæ singulatim explicandis Auditoribus solertioribus, opella sua arridebit.

## CHRIST. FRID. AYRMANNUS,

*Hist. Prof. P. Ord. & Bibliothecar. Acad.*

**L**oco promissi superiori semestri Collegii publici, iubentibus sic Auditorum studiis, Historiam Germanicam ab ovo, ut aiunt, exorsus, instabili licet valetudine, ad excessum Caroli M. deduxit, specimina adhibitæ diligentiae propediem, curis posterioribus accedentibus, in lucem publicam prolaturus. Proximo itaque semestri, initio rursus a Carolo M. facta, ita ut nouum videri queat Collegium, Historiam Imperii Germanici, ad Ius publ. imprimis accommodatam, ad recentissima vsque tempora perducet. Quis vero præterea qua publice, qua priuatim, studiorum Historicorum cursus tenendus sit, ex nuperis celeberrimorum Professorum Lipsiensium, Goettingensium, aliorumque Programmatis potest perspici, & quid præsentibus etiam, & personis loco tempori conueniat, existimari.

## J. FR. MÜLLER, *Philos. P. P. O.*

**P**ublice hora III. pomeridiana tradet doctrinam de anima secundum positiones a se concinnatas. Jus Naturæ desiderantibus priuatim explicabit, opera sua nec in aliis, quorum cognitionem valet impertiri, ulli defuturus.

## IO. LVDOVICVS ALEFFELD,

*Poes. Prof. Ord.*

**D**E *pœsi* veterum *philosophica* publice commentabitur & præcipua eius, quae supersunt, monumenta perlustrabit. Privatim

Privatim *Nasonis Metamorphoses*, quae fabularum antiquarum thesaurum continent, enarrabit. Lectiones ad *Pufendorfium* de Off. H. & C. superiori aestate coeptas intra duorum triumve mensium spatium ad finem perducet; novaeque tum in *eundem libellum*, tum etiam ad *Buddei vel Heineccii Elementa Philosophiae moralis* statim post finitas nundinas auspicabitur.

## ERNEST. FRID. NEUBAVER,

*antiquitatum, itemque sacrarum & orientis linguarum*  
P. P. O.

**D**ivinissimam Pauli ad *Romanos* epistolam, vberiori ratione ex *graeco* fonte interpretandam, & semestri hiberno absolvendam, publicis lectionibus, Deo volente, destinavit. Privatim in lectione codicis *ebraei* cursoria perget, tres *prophetas* maiores longeque difficillimos, *Esaiam, Ieremiam, Ezechielem*, ordine ita postulante, explicaturus, nec in aliis muneris sui partibus cuiquam defuturus. In primis collegium in *an-  
tiquitates graecas*, ad elegantissimi compendii, a clarissimo viro, **CHRISTIANO BRVNINGS**, nuper concinnati, ductum, vel aliud in **AELIANI** *variā historiam*, offert. Neque minus, sicuti aestivo semestri *aethiopicam* linguam, paucissimis hodie philologis cognitam, & tamen non exiguam utilitatem prae se habentem, privatissima opera docuit: ita *chaldaica, syriaca, rabbinica, arabica*, aliasue *orientis* cupedias, profectioribus ingenis degustandas praebebit. Quibus vero altioribus collegiis hancce super imponere debet inscriptionem & quasi epithema: *ὀυδεις ἀνεβγαῖος ἰστω*. Insuper habebit *disputationes*, si subsidiaria *Dn.* respondentium opera non destituatur.

## CHRIST. LUD. GERSTEN,

*Math. P. O. & Reg. S. Lond. Sod.*

**S**ublimiorem sive puram *Mathesin* publice explicabit, mixtae vero *cursum* privatim auspicabitur.

# IO. HERMANNVS BENNER,

*Eloq. Prof. Ord. & Paedagogiarcha.*

**P**ER totum attis oratoriae campum publice decurremus. Signabit viam  
**V. C. HEINECCIUS.** Binas horas scriptoribus optimis dicabimus.  
 Priuatim singulorum studiis ac profectibus pro niore seruiemus. Di-  
 sputationes publicas offerimus. Ad vtriusque linguae carmina & ca-  
 rationes, operam praestare quam iactitare malumus. Neque sacra ne-  
 gligentur.

# CHRISTOPH. LVD. RVDIGER

*Philos. Prof. extra ordinem, Definitor & V. D. M. ciuicus.*

**S**Tatum religionum nostri temporis, opera *B. Rudrauffi* in protheo-  
 ria theol. vsurus, in medium proponet, nec eos, qui vel *histori-*  
*am litterariam*, siue philosophicam, aut heraldicae artis praecepta,  
 probe sibi cognita reddere gestiunt, industria sua defraudabit.

# CHRIST. GODEL. KOENIGIUS

*Philos. Prof. P. Extraord.*

**S**Cholas suas, quibuscum illae quidem coeptae sunt, exteris conti-  
 nuando, Graias quoque aliasque pandere Philologicas non abnuet.  
 Cum Musarum alumnis de quibusdam poëticae artis praeceptis com-  
 municare cupiens ei rei **HORATII** Lyrica tanquam optima & prae-  
 stantissima exempla destinat. Publice, si Qui desiderabunt, Decori le-  
 ges, quatenus illae sapientiam adiuuant atque ornant, secundum prin-  
 cipia **SPECTATORIS** Angli s. potius **RICHARDI STEELII** Illustris-  
 que **ADDISONII** tractabit: In omnibus vsum moralem & ciuilem  
 illum vniuersae scientiae scopum aliis sibi que semper praefixurus.

**H**Abebunt etiam *Generosiores Nobilissimi Ciuies* commodissimam occa-  
 sionem, in *arte equestri*, in *ludo palaestra*, in *arte commode & perite*  
*saltandi*, nec non in *linguis exoticis*, *Gallica*, *Italica*, apud exercitio-  
 rum istorum, & linguarum magistris, publica auctoritate constitutos,  
 habiles admodum & idoneos, proficiendi, profectus suos  
 augendi partamque habilitatem perficiendi.